

solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberius proveniret. » Adducens inibi sententiam affirmativam Clericali *De sacramento Eucharistiæ*, decis. 8, ad mensem Februarii, casu primo a n. 34 usque ad finem, ubi fuse probat, posse in ipsis oratorii eucharistiam ministrari; et alios doctores, inter quos Quarti, Dianam et Giribald. credentes ad id opportunam facultatem ordinarii, tam pro sacerdotibus regularibus quam sæcularibus ibi celebrantibus, cui opinioni asserens esse conformem Romæ praxim, testatur insuper quod cum de ordine sacræ congregationis Concilii, cujus erat secretarius, allocutus fuisset Summum Pontificem Innocent. XIII pro facultate recipiendi eucharistiam in suo privato oratorio a quadam nobilissima femina, quæ propter suas habituales indispositiones nequibat mane se ad ecclesiam conferre, noluit eam dictus Pontifex concedere, nisi limitatam ad tempus infirmitatis, visis prius et ponderatis juratis medicorum attestationibus. Quamobrem cum ipse esset archiepiscopus Bononiensis, statuit quod nullus sacerdos sive sæcularis, sive regularis, sine sua, aut sui vicarii generalis speciali facultate posset ullo modo in dictis privatis oratoriis eucharistiam ministrare.

(98.* Nullum jus assistit parochi, ne in oratoriis publicis intra suam parochiam, missa celebretur, ante absolutam missam, parochialem, ex decretis S. Congregationis. *Institut. Eccles.*, § 11. (99. Potest tamen id vetare ordinarius, « dummodo tamen missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur. » Quæ verba sunt sac. congregationis. *Ibid.*, § 12.

(100. In archiepiscopatu tamen Bononiensi, si oratorium publicum distet a parochiali unum miliare, permittitur hæc anticipatio; onere tamen injuncto capellano annuntiandi festa de præcepto, Evangelium explicandi, sicut et catechismum, ac doctrinam christianam habendi, quod etiam mandatur a Clemente XII in encyclica ad episcopos Italiæ data ann. 1735. *Ibid.*, § 15*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(101. Potissima differentia oratorium publicum inter et oratorium privatum in eo posita est, quod illud habere debet januam apertam in via omnium usui patenti et a privatorum hominum dominio exempta tantæque amplitudinis, quanta communiter ab interpretibus juris ad viam publicæ denominationem desideratur. In hoc vero alius non patet aditus, nisi per locum privatum. *Gattic., De orator. domestic.*, cap. 3, num. 2, et plur. sequent.

(102. Cæterum si pateat aditus ad oratorium per domus atrium, per prædium, aream, campumque de alicujus dominio, sed ab immemorabili tempore transitus ille liber fuerit, perinde ac si fuisset per viam publicam, ita ut nulla domino sit facultas transitum illum impediendi, non desinit oratorium

illud esse publicum. (103. Idem dic, si in nova constructione oratorii, dominus se obligaverit, viam quæ ducit ad ipsum, cuique liberam in perpetuum servare. *Fagnan., in cap. In his*, n. 18, De privileg.; *Gattic., De orator. domestic.*, cap. 3, numer. 3, ubi numer. 6 agit de oratoriis, quæ intra domos erecta sunt et tamen tanquam publica habentur.

(104. In oratorio publico necessariam esse campanam vulgo traditur. At oratorium non desinere esse publicum, tametsi campana ipsum careat, firmat *Gattico, De orator. domestic.*, cap. 3, num. 13. « Quot, inquit, in villis præcipue et oppidis reperiuntur oratoria, in quibus publice sacrificium offertur, nec in illis suspensa reperitur ulla, vel minima campanula, quin propterea ab episcopis interdicantur? At vero hujusmodi defectum nequaquam episcopi tolerarent, si ex communi jure campana ad constituendum publicum oratorium requireretur. Mihi certe hæc multorum episcoporum tolerantia æquipollens invicto testimonio apparet, cum ex illa evidenter comprobetur, inter necessaria oratorii publici campanam non reputari. Quocirca non jam oratorium propter campanam publicum constituitur, sed ideo campana appenditur, quia jam supponit locum publicum, quo perfecto, signum illud collocaetur. Signa etenim rerum, prius in se ipsis res constitutas supponunt, quas nisi perfectas præsupponerent, fallaciter demonstrarent. Si autem dicatur, male a quibusdam episcopis tolerari oratoria publica absque campana, statim reponere poterimus, non uniformem ubique regulam posse observari ob diversas circumstantias in diversitate locorum occurrentes. Addam pariter, nullam, quam sciam, ab Apostolica Sede legem latam esse, præcipientem, in oratoriis publicis appendi campanam ac proinde uniuscujusque episcopi prudentiæ relinqui pro opportunitate hanc, vel exigere, vel non concedere; ac abunde ad discrimen uberius inter ecclesias et oratoria conservandum, sufficere si quod olim jusserat Joannes XXII in Extrav. 2, *De offic. custodis*, renovaretur, quemadmodum expresse illud renovavit S. Carolus in concilio provinciali Mediolanensi IV, part. 1, tit. *De campanis*, videlicet unam tantum campanam in oratoriis, plures solum in Ecclesiarum campanariis turribus appendi. »

(105. Qua posita opinione, non per hoc quod oratorium non habeat campanam concludi potest, quod non sit publicum, si januam habeat in via publica. Recte vero asseri potest publicum esse oratorium si campanam habeat, quia campana non appenditur, nisi oratorium sit publicum.

(106. De eo non levis est controversia, num oratorium publicum, præter ostium principale in via publica apertum, habere possit aliam minorem januam quæ privatam domum vel privatæ domus atrium respiciens, ingressum non omnibus liberum præbeat, sed solis domesticis, in quorum unice gratiam aperitur? Tum etiam quæri-

tur num in oratorio publico fenestræ in parietibus effingi queant, ut e privatis cubiculis domestici in oratoria respicere, atque ita a reliquis omnibus separati, missæ ac orationi assistere et vacare possint? Negativam in utraque quæstione opinionem tenent *Barbosa ad Concil. Trident.*, sess. xxii, c. 8, num. 21, *De reform.*; *Amostaz., De causis piis*, lib. v, cap. 10, num. 15 et seq. At pro affirmativa sententia, in una, itemque altera quæstione est, concurrente, vel lege foundationis, vel privilegio Apostolico, vel usu immemorabili, *Gattic., De orator. domestic.*, cap. 3, n. 8 et 9, ubi inter alia in confirmationem hujus suæ affirmativæ sententiæ, affert synodum Beneventanam anni 1367, tit. 5, cap. 2, in quo habetur: « Edificationem et usum oratoriorum ita episcopi,

ORDO, ORDINARE.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt ordinis in genere, et in specie essentiam, numerum, institutionem, materiam et formam.

SUMMARIUM.

1. Ordo sumitur dupliciter, et quomodo? — 2. Ordo quid sit? — 3. Ordines secundum theologos magis communiter sunt septem, et enumerantur. 4. Ex dictis septem ordinibus quatuor primi nuncupantur minores, et non sacri, et tres ultimi nuncupantur majores, et sacri, et quare? — 5. Subdiaconatus in primitiva Ecclesia non connumerabatur inter ordines sacros, bene tamen nunc. — 6. Secundum autem canonistas magis communiter sunt novem, et assignantur. — 7. Et hoc non sine mysterio, sed ad formam celestis hierarchiæ, et juxta novem ordines, seu choros angelorum. — 8. Quod prima tonsura non sit ordo proprie dictus, neque sacramentum, qui doctores teneant? — 9. Adducitur pro hac sententia fortis textus ex cap. *Illud* 1, dist. 77. — 10. Adducitur etiam ad id varii textus concilii Tridentini cum declaratione sacræ congregat. ejusdem Concilii. — 11. Oppositam sententiam, scilicet quod prima tonsura sit ordo proprie dictus, qui doctores teneant? — 12. Adducitur pro hac sententia satis validus textus ex cap. *Cum contingat* 11, De ætat. et qualit. — 13. Canonistarum sententiæ videatur clare adhæsisse Sixtum V in constitut. 91 incip. *Sanctum et salutare*. — 14. Et hanc canonistarum sententiam probavit etiam sacra congreg. Episcop. et Regular. — 15. Eandem sententiam apertius probavit sacra congreg. Concilii. — 16. Quod episcopatus non sit ordo proprie dictus, simpliciter, et adequate distinctus ab ordine presbyterali, qui doctores teneant, et quenam sit præcipua eorum ratio? — 17. At vero episcopatus probabilis est ordo sacramentalis ab ordine presbyterali, realiter, et adequate distinctus. — 18. Respondetur ad rationem adversariorum. — 19. Omnes et singuli vero ordines sunt verum ac proprie dictum sacramentum. — 20. Per hoc tamen, quod singuli ordines sint sacramenta, non valet inferri, quod sacramenta sint plura, quam septem, quia omnes, et singuli ordines constituunt unum duntaxat sacramentum ordinis ut sic, unitate ordinationis, et finis. — 21. Ita etiam characteres particulares singulorum ordinum insimul constituunt unum duntaxat characterem totalem, et completum ordinis ut sic. — 22. Prima tonsura, quæ secundum theologos non est ordo, sed dispositio ad ordinem, definitur. — 23. Secundum canonistas, qui tenent primam tonsuram esse ordinem, aliter definitur. — 21. Quenam sit materia, et

cum id illis justa de causa concedendum visum fuerit, concedant, ut præter fores per quas a privatis domibus ad ea itur, alias item habeant, quibus a via publica, omnibus etiam aditus pateat. »

(109. De oratoriis privatis consule, ubi res postulat pluries laudatum *Gatticium*, qui hoc argumentum illustravit. Illud vero hic prætereundum haud est quod S. M. Benedictus XIV in epistola data 2 Junii 1751 ad primatem, etc. Poloniæ a § 20 ad § 26 declaravit, in hisce privatis oratoriis administrari haud posse sacramenta penitentiae et eucharistiæ etiam extra tempus Paschale, comprehensis etiam regularibus exemptis. Quocirca amplecti amplius nequit opinio, quam auctor n. 45 tenet, quod scilicet possint in iis dicta sacramenta administrari.

forma primæ tonsuræ secundum canonistas? — 25. Dicitur notanter secundum canonistas, quia secundum theologos, cum prima tonsura non sit ordo, non constat materia, et forma proprie dicta. — 26. Prima tonsura secundum canonistas est ex institutione Christi, tradente apostolo Petro, in Ecclesia derivata. — 27. Secundum theologos autem prima tonsura est ex institutione Ecclesiæ, et assignatur occasio, seu motivum hujus institutionis. — 28. Ostiarius quid sit? — 29. Quæ ejus materia, et forma? — 30. Quando fuerit institutus? — 31. Lectoratus quid sit? — 32. Quæ ejus materia, et forma? — 33. Quando fuerit institutus? — 34. Exorcistatus quid sit? — 35. Quæ ejus materia, et forma? — 36. Quando fuerit institutus? — 37. Acolythatus quid sit? — 38. Quæ ejus materia et forma? — 39. Quando fuerit institutus? — 40. Subdiaconatus quid sit? — 41. Quæ ejus materia, et forma? — 42. Quando fuerit institutus? — 43. Diaconatus quid sit? — 44. Quæ ejus materia, et forma? — 45. Quando fuerit institutus? — 46. Adducitur, et solvitur notabilis objectio de materia subdiaconatus et diaconatus, ad num. 47. — 48. Presbyteratus quid sit? — 49. Quæ ejus materia, et forma? — 50. Quando fuerit institutus? — 51. Episcopatus quid sit? — 52. Quæ ejus materia, et forma? — 53. Quando fuerit institutus? — 54. Contactus physicus materiæ remotæ cujusque respective ordinis est necessarius necessitate præcepti. — 55. An autem sit etiam necessarius ad valorem ordinis? concluditur affirmative, ad n. 56. — 57. Sufficit tamen contactus physicus mediatus. — 58. At non sufficit contactus moralis. — 59. Adducitur, et solvitur objectio. — 60. Affertur, et solvitur instantia, prima responsione, ad num. 61. — 62. Quoties rationabile dubium emergit de valore sacramenti, reiterandum est sub conditione. — 63. Affertur secunda responsio ad supradictam instantiam. — 64. An sit necesse ad valorem ordinis, ut contactus materiæ fiat simul physice cum prolotione formæ, ad num. 65. — 66. Episcopus ordinans debet per seipsum porrigere materiam tangendam ab ordinandis. — 67. Affertur compendiosa conclusio doctiss. P. La Croix. — 68. Alia ad rem, ad n. 75.

(1. Ordo sumitur dupliciter. Primo, velut *active*, sumitur ordo pro ipsa actuali ordinatione, seu actione, qua alicui confertur ordo, seu potestas aliqua spiritualis in Eccles. circa eucharistiam: et hoc modo acceptus ordo, est unum ex sacramentis novæ legis. Secundo, quasi *passive*, sumitur ordo pro statu, seu gradu potestatis, et ministerii sacri circa eucharistiam: et hoc modo ac-

ceptus ordo, non est sacramentum, sed est effectus et res sacramenti, seu sacrae ordinationis. Sic v. g. presbyteratus sumitur, vel pro ipsa actuali ordinatione alicujus in presbyterum, et sic est sacramentum; vel pro gradu, seu potestate sacerdotali, quam quis acquisivit vi ordinationis suae in presbyterum, et ratione cujus potest valide consecrare et absolvere, et hoc modo presbyteratus non est sacramentum, sed potius effectus, seu quid consequens ad sacramentum ordinis presbyteratus jam peractum, et sibi collatum. Unde, ut vides, gradus, status, seu potestas sacerdotalis est res permanens; sacramentum vero ordinis presbyteratus, seu ipsa actualis ordinatio in presbyterum est res transiens; et sic, salva proportione dic de aliis ordinibus.

(2. Ordo, seu sacra ordinatio est « Sacramentum novae legis initerabile, quo subiecto capaci cum impressione characteris spiritualis potestas confertur ad sacramentum Eucharistiae conficiendum, aut circa illud ministrandum. » Est in re communis. Et convenit cum illa longiore definitione, quam tradit Scotus in 4, dist. 24, qu. unic., § De tertio dicens: « Ordinatio est institutio alicujus in gradu Ecclesiae praeminenti, cui convenit aliquod ministerium circa eucharistiam exhibendum, facta a ministro idoneo certa verba proferente, et simul cum intentione debita ministerium gradus illius alicui signo visibili representans, ex institutione divina efficaciter signans gratiam praeminentem, qua ordinatus digne aliquod ministerium exsequatur. »

(3. Ordines, secundum theologos magis communiter, sunt septem, scilicet ostiarius, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus, seu sacerdotium. Ita Magister sententiarum, in d. dist. 24., et alii passim (155).

(4. Et quamvis omnes dicti septem ordines sint aliquid sacrum, deputatumque ad cultum divinum; tamen quatuor primi nuncupantur minores, et non sacri, et tres ultimi duntaxat dicuntur majores, et sacri, ut habetur in cap. A multis 9, De aetat. et qualitat. Primi quatuor dicuntur minores ob minus, et remotius officium, ad quod circa Eucharistiam exercendum deputantur; et non sacri, non per hoc, quod quasi nihil sacrum sint, aut contineant, sunt enim et ipsi verum sacramentum, prout colligitur ex concilio Florentino in decreto unionis,

(155) Animadvertite hic primum, in Ecclesia Graeca quinque tantum ordines in usu esse, nempe episcoporum, presbyterorum, diaconorum, hypodiaconorum, seu subdiaconorum, et lectorum. Audiatur S. Joannes Damascenus, qui Dial. adv. Manich. Principium, inquit, et de ordine quoque dicitur, in quo prima dignitas lector est, deinde subdiaconus, post diaconus, post presbyter, atque ita demum episcopus. Neque alios ordines percenset Constantinopolitanum IV concilium, seu oecumenicum VIII anno 869 celebratum, can. 5. Equidem Innocentius IV Ep. ad Othonem Tusulanum episcopum, praecipit et ut episcopi Graeci, secundum morem Ecclesiae Romanae de cetero conferrent. Verum illud Innocentii praec-

et Tridentino, sess. xxiii, cap. 2, et canon. 2, et tenent omnes; sed dicuntur non sacri, ad differentiam ordinum majorum, qui per excellentiam, ob rationes mox afferendas, appellantur sacri; et ipsis ordinibus minoribus tales rationes non competunt. Tres autem ultimi dicuntur majores, et sacri. Primo ex eo, quod per eos ordinati ad majus, et proximum officium circa sacram Eucharistiam exercendum deputentur; sacerdotes scilicet ad sacram eucharistiam conficiendam, diaconus ad eam dispensandam, et tractandam in vasis, et subdiaconus ad ejus materiam ministrandam. Scotus in 4, dist. 24, art. 2, lit. D., ut ex ipso notat Mastrius, Theol. moral., disp. 19, n. 5, et alii passim. Et secundo ex eo, quod in Ecclesia Latina dicti tres ordines sacri habent adnexum votum perpetuae castitatis, et obligationem recitandi divinum officium, quibus homines specialiter Deo consecrantur. Sic doctores communiter.

(5. Fatendum tamen est quod subdiaconatus in primitiva Ecclesia non fuerit connumeratus inter ordines sacros, ut expresse habetur in cap. Nullus in episcopum 4, dist. 60, ubi dicit Urbanus I (156): « Sacros autem ordines dicimus diaconatum, et presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia; » et refertur in cap. A multis 9, De aetat. et qualitat., ibi: « Si quidem Urbanus Papa primus decrevit ut nullus in episcopum, nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus fuerit, eligatur; sacros, inquit, ordines diaconatum dicimus et presbyteratum; hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse. » Et revera subdiaconus licuit habere uxores usque ad tempora Gregorii primi (157), ut patet in cap. Ante triennium 1, dist. 31, ubi cum olim promoverentur subdiaconi, non promissa continentia, et licite uterentur uxoribus et beneficiis; et Pelagius Papa postea edidisset constitutionem, in qua praecise prohibuit, ne subdiaconi suis uxoribus commiscerentur; Gregorius illius successor revocavit illam constitutionem, tanquam duram, et incompetentem, statuitque, ut subdiaconi, qui tunc erant, inviti non cogentur; at in futurum nemo ad subdiaconatum promoveretur, nisi continentiam voveret, ut notat Fagnan., lib. 1 Decretal., in cap. Nuper 4, De bigamis non ordinandis, n. 33. Hinc ex tunc subdiaconatus pro sacro ordine usque nunc fuit ab omnibus semper

plum non nisi spectabat ad Graecos in Cypro tunc Venetis subditi, ubi Otho ejus legatione fungebatur, degentes. Ceterum neque in concilio Florentino hac de re lis mota est, neque Clemens VIII in sua super ritibus Graecorum instructione quidquam innovari jussit.

(156) Error facti est in hac Innocentii III decretali; neque enim caput illud Nullus, Urbani I est, sed II, in concilio Beneventano an. 1091.

(157) Varia in Occidente etiam ante M. Gregorii tempora super subdiaconorum celibatu disciplina fuit. Confer Francisci Antonii Zaccaria Historiam polemicam celibatus, Romae 1774 editam, pag. 254 sequent.

habitus, ut expresse habetur in cap. Miramur 7, De servis non ordinandis, ibi: « Nam licet sacer ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva; tamen a constitutione Gregorii, atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus minime dubitatur. » Et hoc etiam decisum habetur in cit. cap. A multis 9, De aetat. et qualitat.

(6. Secundum autem canonistas magis communiter, ordines sunt novem, videlicet septem mox assignati, et prima tonsura ac episcopatum, de quibus omnibus fit mentio in cap. Cleros 1, dist. 21, sequentibus verbis: « Quorum (clericorum gradus, et nomina sunt haec) ostiarius, psalmista (per hunc intelligendo cum Glossa ibidem initiatum prima tonsura), lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus. » (7. Et hoc non sine mysterio, sed ad formam caelestis hierarchiae, et juxta novem ordines, seu choros angelorum (158):

(8. Quod prima tonsura non sit ordo proprie dictus, neque sacramentum, tenent expresse Magister sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, et Scotus in 4, dist. 23, quaest. unic., in fine, et theologi fere communiter, et ex canonistis tenet archidiaconus in cap. Cleros 1, dist. 21, n. 16; Bellamera, ibidem, num. 4; Vincentius, c. Cum contingat 11, De aetat. et qualitat. praeficiend.; Pirhing, lib. 1 Decretal., tit. 11, n. 1; Sanig., ibid., cap. 1, n. 9; card. de Luca, t. II, disc. 60, De regularibus, n. 12; Aloysius Biccus, in Praxi fori ecclesiast., part. III, resolut. 234, n. 7, et 235, n. 2; Pignatell., tom. II, consult. 66, n. 11, et tom. VIII, consult. 146, n. 7, cum aliis ibi citatis.

(9. Et pro fundamento adducitur satis validus textus in cap. Illud 1, dist. 77, ubi Caius Papa sic expresse habet: « Ad ordines ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur; id est si quis episcopus esse meretur, sit primum ostiarius, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur acolyth. demum vero subdiaconus, deinde diaconus et postea presbyter, et exinde, si meretur, episcopus ordinetur. » Unde si, ut vides, ostiarius ponitur pro primo ordine, clarum stat quod nullus alius ordo antecedit; arg. cap. Joseph. 5, ex De verbor. significat., et l. Proximus 62, ff. eodem; adeoque prima tonsura, quae antecedit ostiariatum, et est minor illo, non est ordo proprie dictus, nec sacramentum. Et concordat cap. A subdiacono 5, dist. 93, ubi distincte enumerantur singuli ordines et gradus Ecclesiae, et tamen nulla fit mentio primae tonsurae seu psalmistatus, quod fieri non potuisset, si esset proprie ordo.

(10. Et omissis, brevitatis gratia, variis aliis sacris canonibus, qui videri possunt apud Fagnanum in cap. Cum contingat 11, De aetat. et qualitat., a n. 13 ad 35, colligitur clare ex variis textibus concilii Tridentini,

(158) Si Psalmista inter ordines numeratur, quidni et catechista, fossores, parabolani, idque genus alii, veluti ordinum gradus in veterum scriptis indicati ordinibus ascribantur? Dicendum igitur ea fuisse

et signanter in cap. 2, sess. xxiii, De sacramento ordinis, ubi enumerat sigillatim omnes ordines, nec tamen inter eos reponit primam tonsuram. Imo non solum non reponit inter ordines ipsam primam tonsuram, sed insuper hanc aperte ab ordinibus secernit, separatim ipsam uti quid diversum ab illis, et tanquam quid praevium ad eos referendo, ibi: « ita distributi, ut qui jam clerici tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. » Et similiter primam tonsuram tanquam quid diversum ab ordinibus secernit expressis verbis, cap. 2, sect. 14, De reformat., ibi: « Ad aliquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram promovere, etc. » et in cap. 6, sess. xxiii, De reformat., ibi: « Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus. » Ubi, ut vides, concilium utitur dictione alternativa aut, quae ponitur inter diversa. Et quod talis fuerit mens ipsius concilii, scilicet primam tonsuram inter ordines non connumerari, pluries declaravit sacra congregatio dicti concilii interpres, ut refert Fagnanus in cit. cap. Cum contingat, num. 37 et 38, De aetat. et qualitate praeficiend.

(11. Oppositam tamen sententiam, scilicet quod prima tonsura sit ordo proprie dictus, tenet expresse Glossa in cit. cap. Cleros 1, dist. 21, verb. Psalmista, et in cit. cap. Cum contingat 11, De aetat. et qualitate, verb. Abbati; et Abbas, ibid., num. 1; Joann. Andreas, num. 12; Hostiens., num. 2; Butrius, num. 6, et latissime Fagnanus, num. 43 et sequentibus, dicens hanc esse communem canonistarum; et ex theologis eidem astipulari majorem in 4, dist. 24, qu. 1, col. 2; Joann. Echium in Homilia de ordinibus; Angelum in verb. Ordo primo, n. 1, clericalem tonsuram vocantes ordinem, Aleuinum, lib. De divinis officiis, cap. 33, in III tom. Bibliotheca sacra. Quam etiam (inquit Fagnanus ibidem) secuta est Rota multoties, et praesertim dec. 731, num. 3 et 6, part. 1, divers. et decis. 50, part. v Recent. dec., num. 5.

(12. Et pro fundamento hujus sententiae adducuntur plurimi sacri canones, variaeque non spernendae rationes, quarum universi viginti duas affert Fagnanus, loc. cit., a n. 46 ad 118, et deinde a num. 119 ad 135 respondens ad fundamenta adversariorum. Praecipuum autem, et satis validum fundamentum desumitur ex cit. cap. Cum contingat 11, De aetat. et qualitat. praeficiend., ubi expresse legitur definitum, quod « per primam tonsuram juxta formam Ecclesiae datam, clericalis ordo confertur, » adeoque cum clara habeatur decisio juris pro sententia canonistarum, standum est litterae canonis, et non expositioni, et interpretationi theologorum dicentium, quod ibi, et alibi sumatur ordo solum large, et impro-

officiorum nomina, non ordinum, ne admittere cogamur in antiqua Ecclesia ordines fere innumeros: « quod, inquit Benedictus XIV, De syn. dioces., l. vii, c. 9, nemo facile credet. »

prie : nam verba, cum possunt, debent intelligi secundum suam propriam significationem; l. *Non aliter* 69, ff. *De legatis* 3. Tum quia Papa Innocentius III fuit specialiter ibi interrogatus a Rothomagensi archiepiscopo : « An clericatus ordo in tonsura hujusmodi (id est per abbates Benedictinos suis regularibus collata) conferatur? » et ad hanc interrogationem ipse Pontifex respondit sine alia limitatione affirmative, nempe quod « per primam tonsuram juxta formam Ecclesie datam a talibus clericalis ordo confertur. » Atqui hæc responsio simul, et decisio Apostolica fuisset inepta, si nomine *clericalis ordinis* voluisset intelligi duntaxat *ordinem* large, et improprie dictum, cum responsio debeat correspondere interrogationi; l. *Stipulatio* 1, § 1 et 2, ff. *De verborum obligationibus*, leg. *Is qui* 12, § 10, ff. *Quod vi, aut clam*; cap. *Inter dilectos*, juncta *Glossa*, verb. *Petitionis*, De fide instrument.

(13. Canonistarum sententiæ videtur clare adhæsisse Sixtum V in constit. 91 incip. *Sanctum et salutare*; ubi primam tonsuram appellat clericalem characterem, ibi : « Ad suscipiendum clericalem characterem, aliosque ordines. » Si enim per primam tonsuram insignitur quis clericali caractere, stat clarum, quod prima tonsura est ordo sacramentalis, ut aperte indicat illa dictio *aliosque*, cum ex propria vocabuli significatione dictio *alios* stet implicative, et sic repetitiva similium; Clement. 2, *De celebrat. missar.*, et *Glossa* in *Hinc etenim*, verb. *Aliarum*, 49 dist. Id ipsum etiam videtur innuere concil. Trident., sess. xxiii, cap. 2, *De sacramento ordinis*, illis verbis : « Qui jam clericali tonsura insigniti essent, » ubi per *ly insigniti*, designatur impressio characteris in anima recipientis tonsuram, et suadent similia verba Apostoli impressionem characteris denotantia; *II Corinth.* 1, ibi : *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos*; et ad *Ephes.* 1, ibi : *In quo signati estis Spiritu præmissionis sancto*. Unde etiam prima tonsura, ad instar cæterorum ordinum, est initerabilis, ut censuit sacra congr. Conc. apud Fagnan., *loc. cit.*, num. 118, et tenent etiam theologi; tum qui nullum sacramentum prærequirit de necessitate præcepti characterem confirmationis, nisi sacramentum ordinis S. Thomas in 4, dist. 34, q. 1, art. 2, q. 8, et alii; sed prima tonsura requirit characterem confirmationis, ut statuit Tridentinum, sess. xxiii, cap. 4, *De reformat.* Ergo tonsura est ordo sacramentalis.

(14. Et hanc canonistarum sententiam probavit etiam sac. congr. Episcoporum et Regul. Nam, ut refert Fagnanus, *loc. cit.*, n. 117, cum ei relatum fuisset episcopum Cavensem declarasse quemdam clericum primæ tonsuræ fori privilegio privatum, eo quod tonsura non imprimeret characterem, sacra congregatio binis litteris videlicet 12 Maii 1620 et 16 Novembr. 1621 eidem episcopo injunxit, ut decretum illud revocaret, et obliteraret, si in eo contineretur declaratio, quod prima tonsura characterem

non imprimeret, et in posterum a similibus declarationibus abstineret.

(15. Eandem sententiam apertius probavit sac. congreg. Concilii. Siquidem consultata : « An abbas habens jurisdictionem quasi episcopalem, si aliis, quam regularibus sibi subditis, primam tonsuram conferret, censeretur saltem impressisse characterem; adeo ut taliter tonsuratus, non iterum tonsurari deberet? » Respondit : « Impressum esse characterem, et ita tonsuratum, tonsurari iterum non debere. » Hactenus Fagnan., *loc. cit.*, num. 117 et 118, qui postea sub num. 132 subjungit, quod cum sacra congreg. dixit, tonsuram a concilio non haberi pro ordine, seu concilium primam tonsuram non connumerare inter ordines, juxta notata *supra*, num. 8, in fine, voluit dicere concilium non definivisse tonsuram esse ordinem, et ideo illam non comprehendisse explicite minorum ordinum appellatione : et certe si concilium hoc definivisset, congregatio ejusdem Concilii interpret non declarasset in clericali tonsura imprimi characterem, prout declaravit apud ipsum Fagnanum, *loc. cit.*, num. 118, et patet ex adductis hic in principio hujus num. 13.

(16. Quod episcopatus non sit ordo proprie dictus simpliciter, et adæquate distinctus ab ordine presbyterali, docent omnes illi theologi, qui tenent ordines esse tantum septem. Et fundamentum præcipuum, et ratio hujus sententiæ est, quia per omnem ordinem confertur potestas in corpus Christi verum, et ordines distinguuntur per diversas potestates, et ministeria in ordine ad sacramentum et sacrificium corporis et sanguinis Christi; atqui per episcopatum non confertur ulla specialis, et distincta potestas in corpus Christi verum, cum episcopus nullam habeat potestatem in corpus et sanguinem Christi, quam non habeat quilibet presbyter seu sacerdos : ergo episcopatus non est ordo proprie dictus simpliciter, et adæquate distinctus ab ordine presbyterali.

(17. At vero episcopatus probabilius est ordo sacramentalis, ab ordine presbyterali realiter, et adæquate distinctus. Sic Hostiens., in cit. cap. *Cum contingat*, num. 6, De ætate et qualitate, quem ibi sequuntur Joann. Andr. Butrius, card. Ancharanus, Abbas, et cæteri omnes canonistæ; *Gloss.* in præm. sexti decretal., verb. *Episcopus*; *Gloss.*, unic. in cap. *Sollicitudo*, et ibi etiam Præposit., n. 4, dist. 12; *Gloss.* in Clementin. *In plerisque*, verb. *Aliquid*, De election.; Præpositus in cap. *Cleros* 1, dist. 21, num. 9; Fagnan. in cap. *Requisivit* 1, De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatu, et ibi canonistæ communiter, teste card., *ibid.*, n. 1; Barbos., *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 1, n. 18, ubi pro hac sententia citat plusquam 18, etiam ex theologis quos sequuntur alii moderniores cum La Croix, lib. VI, part. II, n. 2209; Sporer, tom. III, part. I, cap. 5, sect. 2, n. 27; Henno, tom. II, tract. 7, *De sacramento ordinis*, qu. 2, conclus. 2; Aversa,

qu. 2, sect. 7; Ilung, n. 18, alique plures contra torrentem aliorum theologorum, *vide* verb. *EPISCOPATUS*, a n. 1 ad 5, ubi late probatur hæc sententia (159).

(18. Ad rationem autem adversariorum, quando dicunt, quod per episcopatum non confertur ulla specialis, et distincta potestas in corpus Christi verum, cum episcopus nullam habeat potestatem in corpus et sanguinem Christi, quam non habeat quilibet presbyter seu sacerdos; respondetur, negando totum id absolute, quia episcopatus mediate saltem dicit specialem, et distinctam potestatem in corpus Christi verum, quatenus constituit legitimos eucharistiæ ministros ipsos presbyteros, seu sacerdotes; si enim diaconatus est ordo, quia continet potestatem serviendi sacerdoti, quare non erit ordo episcopatus, qui continet potestatem ordinandi sacerdotem? Tum quia episcopatus continet specialem, et distinctam eminentiorem potestatem ad exercendas actiones sacramentales, quas simplex sacerdos exercere non potest, nimirum conferendi sacramenta confirmationis et ordinis.

(19. Ordines et singuli veri ordines sunt verum ac proprie dictum sacramentum. *Communis* inter Catholicos. Et quidem quod presbyteratus sit verum sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, est de fide in concil. Trident., sess. xxiii, canon. 3, ibi : « Si quis dixerit ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere, et proprie sacramentum a Christo Domino institutum... anathema sit. » Quod autem cæteri alii veri ordines sint vere, et proprie sacramenta novæ legis, colligitur ex concilio Florentino in decreto unionis, ubi postquam dixit, ordinem in genere esse sacramentum, ponit sub ordine, tanquam speciem sub genere, diaconatum, subdiaconatum et reliquos; quod autem convenit generi, convenit et speciei, adeoque si ratio sacramenti competit ordini ut sic, competit etiam diaconatu, subdiaconatu et reliquis veris ordinibus. Quod et clarius desumitur ex concilio Tridentino, cit. sess. xxiii, canon. 3, ubi, ut patet ex propriis verbis supra adductis, tradit indefinite, ordinem esse verum sacramentum, ibi : « Si quis dixerit ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere, et proprie sacramentum, etc. » adeoque omnis verus ordo est sacramentum; dicendo enim « Ordo est sacramentum, » censetur dicere, « Omnis ordo est sacramentum, » cum propositio indefinita æquivalat universali; tum quia singuli ordines habent suam propriam materiam, et formam, imprimuntque suum specialem, ac diversum characterem ab aliis, ac sunt omnes irreiterabiles, quod aperte demonstrat omnes et singulos esse vere, et proprie sacramenta.

(20. Per hoc tamen, quod singuli ordines sint sacramenta, non valet inferri, quod sacramenta sint plura, quam septem, per illam vulgarem argumentationem, quod si

(159) E. R. Quinimo nullus fere hodie inter theologos reperitur, qui episcopatum verum esse ordi-

singuli ordines sunt sacramenta, ergo universim sunt plura sacramenta, quam septem, nempe tredecim in sensu theologorum admittentium septem ordines, et quindecim in sensu canonistarum admittentium novem ordines. Non valet, inquam, sic inferre : quia quando dicitur « ergo universim sunt plura sacramenta, quam septem, » distinguitur consequens : sunt plura, quam septem quoad speciem infimam, conceditur consequentia, et negatur absurditas; sunt plura, quam septem quoad speciem subalternam, seu genus proximum, negatur consequentia; quia omnes ordines constituunt unam solam speciem subalternam sacramenti in genere; et in ordinaria sacramentorum divisione, et numero, omnes, et singuli ordines continentur sub unico membro, seu sub unica ratione sacramenti ordinis ut sic, tanquam in sua specie subalterna sacramenti in genere continente sub se species infimas, sic inter se ordinatas, ut omnes reliqui ordines referantur, seu ordinentur ad unum presbyteratum, tanquam complementum, et ad SS. eucharistiam, velut finem principalem, et sic omnes, et singuli ordines constituunt unum duntaxat sacramentum ordinis ut sic, unitate ordinationis, et finis, in quantum omnes ordinantur ad unum sacerdotium et SS. eucharistiam.

(21. Et hac eadem ipsissima ratione characteres particulares singulorum ordinum insimul constituunt unum duntaxat characterem totalem, et completum ordinis ut sic. Ita doctores communiter.

(22. Prima tonsura, quæ secundum theologos non est ordo, sed dispositio ad ordines, definitur, « quod sit signum distinctivum ministrorum Ecclesie a plebe communi. » Sic in re communis theologorum. (23. Secundum canonistas autem, qui tenent primam tonsuram esse ordinem, definitur, quod sit « potestas, per quam tonsuratus potest officium canere in Ecclesia Dei, et redditor capax beneficii ecclesiastici, et privilegiorum clericalium. » Sic in re communis canonistarum, arg. c. *Psalmissa* 20, dist. 23, et Pontifical. Roman., tit. *De degradatione*, ubi cavetur, quod episcopus dicat clerico degradando : « Quod ore cantasti, corde non credidisti, nec opere complevisi; ideo officium cantandi in ecclesia Dei a te amovemus. »

(24. Materia remota primæ tonsuræ secundum canonistas est superpelliceum; proxima autem est traditio, et acceptatio ipsius superpellicei. « Forma sunt illa verba prolata ab ordinante : « Induat te Deus novum hominem, qui secundum Deum creatus est « in justitia, et sanctitate veritatis. » Sic Fagnanus, lib. I *Decretal.*, in cap. *Cum contingat* 11, De ætate et qualitate, num. 87; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 11, n. 20, et alii passim. Seu secundum abbatem et Hostiensem, in cit. c. *Cum contingat*, sunt

nem, eumque a presbyteratu distinctum, inficitur.